

II. Permanent apud Dominum totius terræ]

Omne bonum est à Deo.

Omne bonum donum & perfectum est à Deo patre luminum Jacobi 1, 17. hinc igitur qui indiget, id, quo caret, petat Luc. 11, 13. Matth. 7, 7. Etiam illud notatur his verbis ultimis, Ecclesie lucem nunquam extinguere, cum eam seruet Dominus Esa. 10, 17. Psal. 27, 1.

## CAPUT QUINTUM.

### Argumentum.

Summa

Cap. 1.

2.

3.

4.

5.

Obiectio, non apparere promissa.

**I**N visionibus, Zachariae divinitus oblati, agitur potissimum de consilijs Dei, quibus utatur in administratione suae providentiae, quâ curat Ecclesiam, idque tam in genere, & ubique, ostendendo, quàm sollicitè, quibusque medijs ac ministris id præstet cap. 1. eam liberando, ejusque hostes perdendo cap. 2. quàm in specie, & in ipsa terra sancta seu Judæa, ubi peculiariter suam asserit gloriam, duobus potissimum modis, nempe beneficijs, quibus suos pios clementer afficit, tum eorum caput cap. 3. tum totum corpus seu Ecclesiam cap. 4. ac Judicijs, quibus impios vehementer conficit, hoc capite quinto. Declaratur enim hic, qui fiat, quum Deus veracissime sæpe promiserit per Haggæum ac Zachariam, fore, ut omnibus remotis obstaculis, quæ à Diabolo ac hostibus externis obiciebantur, templum & urbs sancta restaurentur, ibiq; cultus Dei conservetur usque ad tempus correctionis, quando Messias re ipsa præstiturus erat, quæ jam sub typorum involucre adumbrarentur, hætenus tamen illa promissa divina planè non appareant, imò hostibus Ecclesie impijsque illis Judæis, qui in Babylonia remanserant, longè feliciter omnia, quàm hisce pijs Judæis reduci-

bus